

SS 1730

173

RECTOR

ACADEMIÆ GISSENSIS,

JO. GOTTFREDUS

SCHUPARTUS,

SUPERINTENDENS ET PROFESSOR  
THEOLOGIÆ PRIMARIUS,

UNA CUM UNIVERSO

SENATU ACADEMICO,

LECTIONES ÆSTIVAS

SINGULORUM

PER OMNES FACULTATES PROFESSORUM PUBLICAS  
ATQVE PRIVATAS

GENEROSIS ET NOBILISSIMIS CIVIBUS  
INDICAT COMMENDATQUE.

SUB SIGILLO ACAD. MAIORI

ANNO MDCCXXX. DIE XXIII. APRIL.

---

G I S S Æ,

Typis EBERH. HENR. LAMMERS.



*In Facultate Theologica.*

**JO. GOTTOFR. SCHUPARTUS,**

*Superintendens & Professor Theologiae primarius.*

**C**ommentationibus in *Amosum* defunctus ad explanationem reliquorum Prophetarum, qui hunc excipiunt, perget. Urget porro Lectiones in *Theologiam dogmaticam*; quibus ad finem perductis, operam suam, quantum per Rectorales labores fieri potest, votis & profectibus discipulorum adcommo-  
dabit.

**IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*SS. Theol. D. & Prof. P. Ord. Dioecesis Marp. Superintendens  
ac Stipend. Princip. Ephorus.*

**I**n lectionibus publicis breuem & succinctam articulorum A. C. exegesis dabit, praemissa istorum exhibitorum historia. In priuatis Historiam N. T. ecclesiasticam, huc vsque ad sec. IV. expositam, omni cura continuabit, nec non Hermeneuticam fac. per succinctos aphorismos, ex parte impressos, vna cum praeceptis homileticis proponet, neque iis deerit, qui vel collegium theticum, vel etiam themata sacra publice ventilanda desiderabunt.

**REINHARD. HENRIC. ROLLIUS,**

*SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ord. Ecclesiarumque per districtum  
Absfeldensem Superintendens.*

**D**EI O. M. nutu atque arbitrio, ipso anno Augustanae Confessionis seculari huc vocatus, illius ut rationem habeat, publice, bono cum Deo, enodabit controversias, recentiori aetate circa Confessionem illam agitas, ostendetque, incon-

cussam adhuc perstare, Dei gratia, pretiosissimi hujus Ecclesiae nostrae Symboli veritatem, *Privatim* Theologiam dogmaticam praeleget, non defuturus & illorum desideriiis, qui in aliis Theologiae partibus tradendis operam suam sibi profuturam existimabunt.

## JO. CONRADVS ARNOLDI

*SS. Theol. Doct. & Prof. Ord. ac Academiae a Bibliotheca.*

**M**editationes hibernas, ex Thesis B. Lutheri contra Indulgencias, in Lectionibus publicis huc usque propositas, in paucis, quae restant, proxime persequetur, ac quas dictis scriptisque cum Dnn. Auditoribus communicavit, secundum Isaogogen Theologiae Polemicæ simul traditam, exercitio disputandi publico porro examinandas exhibebit. Privatas Lectiones Theologiae dogmaticæ impendet, secundum ductum Compendii Bayeriani, κατὰ θέσιν, ἀντιθέσιν καὶ παραλήψεις explicandi. Perget etiam in commentationibus exegeticis epistolæ Johannis primæ, in ceteris Theologiae partibus desiderio Dnn. Auditorum non defuturus, nec non Bibliothecæ academicæ usum horis solitis concessurus.

### *In Facultate Juridica.*

## JO. FRIEDERICVS KAYSER,

*J. U. D. Serenissimo Principi Hasso-Darmst. a Consiliis, P. P. O.*

*& rerum Oeconom. Inspector.*

**F**initio Collegio ff, quod prope finem est, hac aestate *Pandectas* de novo explicabit, simulque Collegium *Jurispubl.* ad ductum Hornii volentibus aperiet.

## D. JO. FRIEDERICVS WASSER/

*P. P. O. & Academiae Syndicus.*

**P**raelectiones publicas ad SCHILTERI *instit. iur. Can.* nec non *priva-*

*privatas ad institutiones D. JUSTINIANI non ita pridem coe-*  
*ptas, sedulo continuabit, nova quoque Collegia ad Digesta*  
*aliaque, pro desiderio Dni. Auditorum auspicabitur.*

## IO. GEORGIUS ESTOR

D. & P. P. O.

**I**N scholis publicis Cl. *Mascovii principia iuris publici*, nuper  
 edita, interpretabitur. *Privatim & Institutiones & Struvii*  
*iurisprudentiam Romano-Germanicam* explicabit. Operam quo-  
 que dabit, vt lectiones ad *Lauterbachium*, coeptae absoluantur.  
 In scholis privatissimis quas habet, strenue perget.

## GEORG. LVDOV. LEVTNER,

**I**N publicis lectionibus titulum de *Regulis Juris* interpreta-  
 bor, & ad singulas leges observationem maxime utilem, &  
 a vulgo commentatorum omissam, quam poterit fieri, evi-  
 dentissime proponam. Privati labores, quibus in ornanda &  
 instituenda studiosa Juventute semestri hoc aestivo vacare con-  
 stitui, erunt: I. Collegium *Juris Nat. & Gent.* ad *Vitriarii* Insti-  
 tutiones *Jur. Nat. & Gent.* II. Collegium explicatorio-exami-  
 natorium ad *Institutiones Justinianaeas*. III. Collegium *Pandecta-*  
*rum* ad ductum elegantissimi *Compendii Lauterbachii*, cui in-  
 tra anni spatium finiendo quotidie binas horas, alteram matu-  
 tinam, alteram pomeridianam destinavi. IV. Collegium ad  
*Stryckii Examen Juris Feudalis*, in eoque mores *Allemanno-*  
*rum* cum *Longobardorum* institutis contendere studebo. V.  
 Collegium ad *Stryckii Introductionem ad Praxin Forensis*.  
 Privatissime, finito Collegio *Pandectarum*, ejus nonnulli ad-  
 huc supersunt tituli, otium quod Collegia privata mihi reliquum  
 facient, *Studiosae Juventutis desiderio* explendo, & commo-  
 dis promovendis quam lubentissime quoque impendam.

*In Facultate Medica.*

**JO. CHRISTOPHOR. HERTIVS,**

*Med. D. hujusque Prof. & Archiater Hasso. Darmst. Primar.*

**U**bi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunqueratione Philiatorum conatus promovere poterit.

**D. JO. CASIMIRVS HERTIVS,**

*Prof. P. Ord.*

**P**ublice botanicis, privatim vero anatomicis lectionibus & demonstrationibus vacabit, methodum in illis denuo Turnefortianam: in his vero ductum Compendii Heisteriani, vel si placuerit, Tabularum anatomicarum Dn. J. A. Kulmi secuturus.

**D. IO. MELCHIOR VERDRIES,**

*Prof. P. Ord.*

**I**n publicis & privatis lectionibus ad captum Auditorum se accommodabit, horumque desideriiis pro virili satisfacere studebit, sive *Instituta*, sive *Materiam Medicam* & quae eo pertinent, sive *Praxin* exponi sibi concupiverint.

**LVDOV. HENR. LEO HILCHEN,**

*Med. L. & Prof.*

**P**ublice doctrinam de Dieta Litteratorum proponet. Privatim partium C. H. naturam, dispositionem & usum tam in genere quam in specie exhibebit: nec alia desiderantibus defuturus.

10

---

*In Facultate Philosophica.*

D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,

*Math. P. P. Ord.*

**L**oco lectionum publ. themata nonnulla ventilanda proponet; priuatim Architecturam ciuilem continuabit, nec non in reliquis partibus mathematicis, quantum fieri poterit, suam industriam probabit.

IOANNES HENRICVS MAIUS,

*Antiquitatum, litterarum Graecarum, linguarumque  
orientalium Professor ordinarius.*

**S**emel ingressus sacrae Philologiae Graecanicae campum; non prius referet gradum, quam illius metam, fauente Deo; attigerit, ac proinde in illustrando Nouo Foedere, iunctis perpetuo clar. & Reuer. Wolfii Curis Philologicis & Criticis, publice perget. Priuatam vero industriam ad voluntatem auditorum accommodabit.

D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

*Phil. Nat. P. P. O.*

**A**bsoluta, per superius semestre, *Parte Generali Introductionis suae in Phil. Natur.* ad *Partem specialem* nunc progredietur. Si praeterea in aliqua nobilissimae huius scientiae parte opella sua Nobiliss. Dn. Dn. Commilitonibus commendata esse poterit, ubique se praebabit officiosum.

SEBASTIANVS MASSON, P.

**C**ollegium *Politicum*, cuius duae supersunt Sectiones; vt & *Morale*, paucis abhinc mensibus inceptum, exsequetur; & his vel plane; vel etiam nondum absolutis; noua; si Dnn. Commilitonum vota tulerint, adornabit. Systema quoque *Juris Naturalis & Gentium PUFENDORFIANVM*, Libro de *Off. Hom.*

*Hom. & Civ.* traditum, quod haud ita pridem expediuit, iterum explicabit. Experiri porro vires suas ac profectus cupientibus, instituto in vicem *Lectiois publicae* hebdomadali *Exercitio Disputatorio*; quo vel *Morales*, vel *Politicae*, vel ad *Jus Naturae* spectantes theses ventilabuntur, inseruiet: expositionem operis GROTIANI *de Jure Belli & Pacis* itidem, prout res cedit, suscepturus; nec vlla alias in re ad provinciam suam pertinente laudabilibus Academicorum desideriis defuturus.

## CHRIST. FRID. AYRMANNVS, P.

**P**ublice selectas ex *Historia varia* materias singulis lectionibus proponet, quas postea typorum ope emulgabit. *Privatim* Institutiones suas *Historiae uniuersae* ad editionem paratas, & *Mascampii* Tabulis Chron. accommodatas, explicabit. Neque in reliquis muneris sui paribus cuiquam defuturus.

## JOHANNES RHENIVS,

*utriusque Eloquentiae P. P. Ord.*

**P**ublicis laboribus doctrinam de componendis orationibus juxta H. Freyeri Tabulas Oratorias explicabit. Insuper privato studio Collegium Epistolicum & Oratorium practicum instituet. Denique introductionem ad rectam tractationem veterum scriptorum latinorum separatim expetentibus satisfaciet.

## JAC. FRIDERICVS MULLER,

*Log. & Metaph. Prof. P. Ord.*

**P**ublice in Auditorio philosophico hora pomerid. II. repetam scientiam utendi facultate cognoscitiva, propriae indagati-  
onis ope ad ulterius perfectionis fastigium evectam. *Privatim* continuabo Analyfin Logicam Ontologiae recentioris, emendationemque tam hujus, quam veteris, cujus specimina dabo proxime in Tractatu de Usu Philosophiae. Auditoribus non ad nihil natis referabo quoque penetralia Philosophiae de anima eorumque, quae porro requiruntur ad cognitionem; qua homo distingui potest a bruto. Quia denique Excellentissimo

Domi-

Domino Professori Matheſeos, Collegæ meo honoratiſſimo, ob labores, quos ceterarum, quibus defungitur, ſpartarum amplitudo imperat, nonnunquam minus vacat, hanc vel illam Matheſeos partem exponere, non deero iis, qui aliquam metho-  
 dolo puriori & perpetim palpabiliter convincente audire geſtiunt. Conatus vero huius rectitudinem probabo brevi emun-  
 ctioribus, edendo Novam & plenam Ellipſeos, Curvæ Apollo-  
 nianæ, Theoriam ad promovendam Aſtronomiam phyſicam  
 & Mathematicam.

## JOH. LVDOV. ALEFELD,

*Poëſ. Prof. Ord.*

**P**ublicis lectionibus elegantiores *Horatii odas* explanabit; pri-  
 vatis vero *Mythologiam* ordine tradet; initium facturus ab  
 historia Deorum Gentilium, in qua enarranda vel compendium  
 aliquod mythologicum, vel ipſius etiam *Hæſiodi Theogoniam* ſe-  
 quetur. Nec in ceteris muneris ſibi demandati partibus operam  
 ſuam cuiquam eam expetenti denegabit.

## CHRIST. LVDOV. RVDIGER,

*Prof. Phil. extra ordinem, Synodi definitoriæ Collega ordin.*

*ut & Civit. Giæſſ. V. D. M.*

**P**recationi nonnullorum annuens, *Oratoriam ſacram* per re-  
 gulas paucas, at ſufficientes, prolixo exemplorum appa-  
 ratu illuſtratas, tradere ſataget. Præcepta *Artis heraldicæ* in-  
 ſtillabit. Et ſi quando frequens Dn. Auditorum concursus ſtu-  
 dium excitabit, *Geographiam Mathematicam* primum, dein *hiſto-*  
*ricam* curſim ad ductum operum binorum Max. reu. virorum  
 D. Liebnechtii & D. Arnoldi docebit.

**H**abent etiam *Generoſi & Nobiliſſimi Cives* commodiſſimam occaſionem  
 in arte equeſtri, in ludo palæſtra, in arte commode & perite ſaltandi; nec  
 non in linguis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum iſtorum. & lin-  
 guarum Magiſtros, publica auctoritate conſtitutos, habiles admodum &  
 idoneos, proficiendi, profectus ſuos augendi, partamque  
 habilitatem perficiendi.